

Hoc exercitium Musicum, ut aliis quoq; in locis, veluti ad Exemplar Vestrarum Ecclesiarum laudatissimum, propagetur & conformetur, superioribus ego annis, cum Scholæ Portensis Phonnascus essem, συλλογὴν quandam Optimorum Cantionum præstantissimorum ætatis nostræ autorum, in gloriam Dei & Ecclesiarum decus, pro talentulo & officij ratione confeci, confectam typis publicis exscribendam dedi: Cujus inchoatæ telæ partem alteram, ad factam permissionem, amicorum & φιλομούσων hortatu, Deo laboribus aspirante, nunc quoq; concinnavi & absolvi.

Quia verò priorem Florilegij mei partem, Nobilissimis Dominis Inspectoribus Illustris Scholæ dedicavi; interim autē temporis, Clementissimā Serenissimi Electoris dispositione, Amplissima vestra Dignitates, certo quodam respectu & præsertim ratione administrationis in Oeconomia, pro enutritione alumnorum extraordinarie ad Ordinum Ditionis Electoratus Saxonici petitionem adjunctæ sunt; Itaq; hanc alteram partem Musici Florilegij Portensis singulari consilio sub eximio Amplitudinum & Prudentiarum Vestrarum Nomine, observantia & gratitudinis declarandæ ergò, publicare visum fuit.

Quamobrem hisce meis laboribus qualibuscunq; prompta mente & serenâ fronte aspirate, & me meosq; Vestro Patrocinio & favori commendatos habete. Quod sanè beneficium unâ cum cæteris mihi perstitis, gratâ mente reponam, & pro salute Vestra totiusq; Ecclesiæ & Reipublicæ, precibus indefessis Deo ter Optimo Maximo instabo. Valete in Domino. Osterhusæ è meo Museo. Dominicâ Cantate Anno Christi Salvatoris nostri, 1620.

Vestrarum Amplitudinum & Prudentiarum observantissimus,

M. ERHARDUS BODENSCHATZ,
Ecclesiæ Osterhusanæ Pastor.